

P V I S

1 6 1 8

- | | |
|--|---|
| <p>Leonardi Rittershusii Paraphrasis Psalmi XC nuptiis dicitur.</p> <p>II. Berzmani paraphrasis Psalmi 121. 91. 125. 124.</p> <p>III. Berzmani paraphrasis Psalmorum 22. 16. 09.</p> <p>IV. Berzmani paraphrasis Psalmi 08.</p> <p>I. Berzmani Epipemphion Psalmorum 91. 97.</p> <p>VI. Berzmani Psalmi .104. 0. 19.</p> <p>VII. Poletani Paraphrasis Prometei Iona.</p> <p>VIII. Munderphei paraphrasis Iona.</p> <p>IX. M. Iacobi Gregorii Iona.</p> <p>X. Joannis Fabri de Nativitate Christi.</p> <p>XI. M. Theodori de Nativitate Christi.</p> <p>XII. Waltzeri Oda de Redemptionis Opere.</p> <p>XIII. Oritii de Peccatu Christi ad Inferos.</p> <p>XIV. Pormacii Heptas simulacra Resurrectionis.</p> <p>XV. Stentorii ubi impudentissimis.</p> <p>XVI. Trautmanni instructio p vero Lutherano.</p> <p>XVII. Bratorii Epistola Germaniae ad Electores.</p> <p>XVIII. Moiti ex Auma ad Christianum Pr. Abbat.</p> <p>XIX. De reb. gestis Johannis Ernesti Pr. Abbat.</p> <p>XX. Henna ab Eichen ad Maunicium Pr. Episc.</p> <p>XXI. Abrahami Cremeri ad Electorem Brand.</p> <p>XXII. M. Imbingeri Statulatio in Natalem Rudolphi Principis Anhaltini.</p> <p>XXIII. Moiti in Nuptias Rudolphi Pr. Pr.</p> <p>XXIV. Berzmani Ecloga Rudolphus.</p> <p>XXV. Bromii Nuptiis raris Rudolphi Pr.</p> <p>XXVI. Wrsini et M. Jeno Nuptiis eiusdem.</p> <p>XXVII. Parentalia Augusto Electori a D. Maiore Sabita.</p> | <p>XXVIII. Esthælii Johanni Ernesto Pr. Pr. Anhaltino v Alberto Voito dicitur.</p> <p>XXIX. Festschii in obitum Eiusdem Principis.</p> <p>XXX. Angeli ad Baronem de W. Pr. Pr.</p> <p>XXXI. Memoriae Damolii Diepholdii.</p> <p>XXXII. Abrahami Cremeri de promotione ad Pr. Pr.</p> <p>XXXIII. Propemptica Fuschli et Cremeri dicitur.</p> <p>XXXIV. M. Victori, cum renunciaretq Rector.</p> <p>XXXV. Oda Sapphica in Doctores Honoratus Fuschli A.</p> <p>XXXVI. In Magisterii Honore Joh. Cram.</p> <p>XXXVII. Merzmanni in honorem Magisterii Jo. Josenlii XX juvenum.</p> <p>XXXVIII. M. Krotii in Magisterium Haberlandi.</p> <p>XXXIX. In Magisterium Copenii Bethmanni Herdesiani.</p> <p>XL. Christiani Vopleri.</p> <p>XLI. Abrahami Theopoldii.</p> <p>XLII. M. Copenii Gratiani. Tunc in Magisterium.</p> <p>XLIII. De dignitate Consulari Trevesi.</p> <p>XLIV. De dignitate Notariatus Gelami.</p> <p>XLV. Apocryphorum Politicorum Regula.</p> <p>XLVI. Nuptiis Petri a Jena.</p> <p>XLVII. M. Puchneri.</p> <p>XLVIII. M. Richardi.</p> <p>L. Wolfgangi Hanen.</p> |
|--|---|

Ec. 11



QUOD BENE SIT

Novis connubij Candidatis

Viro Reverendo & Clarissimo

D.N.

M. JACOBO VVEREN-

BERGIO, Ecclesiastæ Hamburgensi

ET

Virgini morum & formæ Venere elegan-
tissima

MARIÆ GESNERIÆ,

Magni illius VIRI

Theologi, veritatis Lutheranae quondam

HERCVLIS

Dn. D. SALOMONIS GESNERI, &c.

Filiæ.

Amici & sympatriotæ Academici, quia
cupiunt, quia debent, appre-
cantur.

VVITTEBERGÆ,

Ex Officina Typographica MARTINI HENCKELII,

ANNO M. DC. X.



AD

JACOBUM VVERENBERGIUM
Hamburg. cum MARIA GESNERIA
Sponsum.

NON castigo bonos mihi quos impingis elenchos,
VVERENBERGI, arte sophis Theologisq; Solon.
GESNERI pietas & amor sincerus amici
Pectoris officij rem meruere mei.

Promeruit GESNERIS idem VENERILLA; quid? immò
MOX VVERENBERGIACÆ propria Iuno domûs.

Quaq; tibi Sponsa est me interprete nuper. Et hac me
Causa quoq; Hamburgum jusserit ire tuum.

Quin ipsum Hamburgum. Nam me pridem impetus egit
Non - visa Hansatici MIRA videre sacri.

Tuq; omneis inter, praq; omnibus unus habetes,
Quæ jubeant Sponsam me comitare tuam.

Sed (testorte, sancta Fides) uni unica fratri
Si soror illa mihi; non comes ire queam.

Entibi calceolum. Scin' qua me parte molestet?
Nescis, cur maneam, quomodo scire potes?

ITO comes Sponsæ pro me Deus. ipse manebo.

Ito, & cum NUPTIS usq; mane, usq; mane.

Frid. Taubmanus.

ALIVD.

A L I V D.

PULCRA ne sit? primùm, si cui nova nupta paratur,
Quæritur: & si sic; sitné OPULENTA simul?
Deinde VIRENS ridente Venus vernétne juventâ;
BLANDAq; num Hyblæis verba det uncta favis.
Postea, (de vulgi cano more) PUDICA ne? forsan
Ambigitur. tandem; nùm PIA? quis dubitat?
Funde merum Genio, VVERNBERGI. quippe MARIA est
PULCRA; OPULENTA; VIRENS; BLANDA; PUDICA; PIA.
Joh. Rodenb. Antwerp.

M E A O Σ.

MATER venusti pulcra Cupidinis,
Nutrix amorum, tuq; Lubentia;
Oestroq; & instinctu ciete
Virgineum jecur efficaces,
Favete ceptis. Sistitur en suo
Nunc destinatam conjugij in fidem,
MARIA Sponso: nunc amicè
Exiliant, & in omen unà
Omnes secundum gaudia congerant:
Congratulemur nos quoq; nuptiis
Festas choreas: Ecce! letor
Letor ego, & niveam lapillis
Signare lucem gestio candidis:
Et jure. Summum Theologæ decus
Sponsæ Parens fuit Cathedræ,
Quo moriente columna templi

Nostras ad aras intima concidit :
 Tant à ille quondam cum vigilantia
 Caestis invictiq; verbi
 Munera distribuit per orbem.
 Tanti ipse nunquam Theologi immemor,
 Tuiq; quondam, Sponsa, boni Patris,
 Mitto corollas nuptiales,
 Et tibi ferta paro capillos
 Vincitura; Silva germina Cypria.
 Castis honori est myrtus amantibus :
 Myrtum Dionæis Cupido
 Conjugibus sacrat osculandam.
 O viva imago Palladis, huc ades!
 Iam dextra dextra juncta, dati annali,
 Fideq; jus pactum est. Adesdam
 Delicias & amœnitates
 Tuas fliganti pectore jam novus
 Optat maritus, fervidior cabens
 Flammis inardescens Aetnae
 Fervidiorq; focis Cyclopum.
 Tantis Amores hunc tibi vinculis
 Accopularunt; quippe viraginis,
 Iunone non minoris ipsa,
 Non ope primigena; neq; Hebe,
 Formam atq; mores vidit amabiles;
 Et gratiosam blandiloquentula
 Facundiam lingua, manusq;
 Lacteolo niveas decore :
 Et noctiluce lumina stellula,
 Stella gemella lucem habetantia :
 Et delibuta melle labra,
 Aemula flammeolis corallis.

Hac

Hac, Sponsa, Sponsi magnanimum jecur
Potenter ad sese alliciunt, sui
 Amore: quomodo & sub Ida
 Culmine forte repertus olim
Magnes, ahenas a trahere eff'cax
Massas. Sed illud praeipuum decus,
 Quod mentem habes intaminatam,
 Tanta pudicitia tibiq;
Est cura, pulchrae quanta nec Helchidi
Fuisse, nec castae Icariotidi
 Comperta; laus palmaris ista est.
 Ecquis enim melius venustet
Pulchram puellam Dos patrimonij,
Quam castitudo? haec non sinit optimam
 Te non honestatem, MARIA,
 Assidue ante oculos habere.
Na, te beatum, Sponse! Tibi parem,
Tuoq; dignam, qua calcas, toro,
 DEO, Gynaecium, benigno
 Suppeditavit herile Nympham.
Sic conjugati vivite: basis
Nunc & vibratis ne tite brachia,
 Sponsi, columbatim; sequacis
 Morem hederae super- eminenti
Sese applicantis dentibus arbori;
Breviq; fructus edite, pignora
 Tori; recensit amq; salvis
 Conspiciatis ut ergo prolem,
Ritu virentis mitibus editam
Ramis olivae; quae celeberrimam
 Semper propagatura famam
 Nominis & decoris paterni.

Ecquid putemus posse venustius,
Aut suavius, vel divite spiritu,
Effingier, quam optata prolis
Gaudia si videant Parentes.

M. Henricus Julius Strubius VVolferbyr.
Poeta Cæsar. Th. Stud.

P A R O D I A

Ad Oden 5. lib. 2. Carm. Horatij Scripta
Ad Clariss. VVERENBERGIUM Sponsam suam
domum accersentem.

Dudum subacta mente jugum valet
Gestare, dudum munia comparis
Aequare, nec curas mariti
Non humeris tolerare junctis.
Circa hinc remotas est animus tuæ
Sedes puellæ, nunc socijs viæ
Solantis æstum, nunc in acri
Ludere suaviolis duello
Prægestientis. Prome cupidinem
Ridentis urnæ, jam tibi turgidos
Depingit Autumnus racemos
Ceruleo varius nitore,
Jam te sequetur: cogit enim sacræ
Vis flammæ, & illos, quos tibi coxerit
Apponet ignes; jam pudico
Ore petet Mariæ maritum,
Formosa, quondam ceu viguit Rahel,
Ceu Sara; pura sic facie nitens
Ut plena flammanti renidet
Luna polo, niveusve Cygnus.

Hanc

Hanc si Dearum connumeret choro
Mirè peritos luserit arbitros.

Discrimen obscurum, capillis
Auricomis, teneroq; cultu.

à

*M. Davide Hartmano Glacensi Silesio,
qui Sponsis lectiss. feliciter quod agunt,
evenire jubet.*

IACOBUS VVERENBERGIUS

ἀναγκαμματιδεῖς

1. Verba gero Jesu unicus (elisa. b.)
2. Uberibus Veronica fuge

Elaboratio:

Nonne est mira fides? En procul hinc suam
Disjunctus voluit ducere conjugem
Adjunctus Sophiæ flos vigor & decus
VVerenbergiades! mira fides magis
Huic quod qui LOGICO præsidet ORGANO
Adducat Venerem Cynthus auream!
Mira & vera fides; verior attamen,
Huic si non calamo sed thalamo potens
Adducat sobolem Cynthus & piam:
Adsis Philosopho Calliope tuo;
Adsis Theiologo summe pater favens,
Intrent conjugium fidere prospero,
Ingressum incolumis continuet torum
Nec non pacifico finiat exitu;
Et vos Phabicolæ laurigeri addite:
Tu quis? VERBA GERO salvifici UNICUS
JESU: ex UBERIBUS SUGE VERONICA

Vivunt

Vivum lac sitiens illius affatim
Lactis vivifici blandula copiam.

M. Christianus Moldenhauerus art. med. stud.

Dicendum bona verba. animis linguisq; favete,
Immò VVerenbergi linguâ animoq; fave:
Gesneris Venerilla tua est; & compare tali
Affinem superus te facit ordo sibi,
Tu studiis facis ipse tuis bona desino verba
Sic tibi sponte sua prospera cuncta fluunt.

Georgius Nölslerus P.C. fac.

OMnia vertuntur, clarissime Sponse, jugale
Coelibe posthabitâ
vitâ subitur vinculum.
Annuus est orbis, quando inter celsa Lycei
lumina Socraticam
professus es sapientiam.
Philosopho exutum socco jam civibus istam
explicuisse juvat
divina quæ est, scientiam.
Ecce vices rerum quàm pulchrum est cernere, mundus
si sine sit vicibus,
non esse mundum dixerim.
Desine mirari hospes sis, junguntur amore,
patria quos aluit
sole incalescens dispari.
Immemor ipse Isacus terræ natalis, amores
Numinis auspicio
in exteram vertit suos.

Sic

Sic quondam Phœbo peregrinis ignibus arsit
pectus, uti memorant
Nasonis elegantia.

Cuiq; suum caput est, fati & parere necessum
sapius est monitis,
voto nec uno vivitur.

Leucoreas Vira euntem haud raro oblectat Athenas
Attica, præteritis
virgunculis vernaculis.

Attica virgo tua est, quia gnara fociq; coliq;
& calathi, atq; joci
non imperita est Attici.

Magno patre fatam magnus cupis; optima doctam
prosperiore domum
deducis hinnulam alite.

Maeste toro tali, sophia rex inclyte, maeste!
sidera quæq; tibi
rident, tuisq; nuptijs,

Auspice qui Christo sociam sibi jungit, amicum
sentiet ille Deum,
& hospitem faventiam.

Dethlevus Mejer Flensb. Hols.

HENDECASYLLABUM.

VITAM quid faciat molestiorem
Vitam quid faciat maligniorem

Qui nunquam meminit, profectò nescit

Vitam quid faciat suaviorem

Vitam quid faciat beatioram.

B

VVERN.

VVERNBERGI catus atq; cautus audis,
Quod talem, Iove comprobante summo,
E multis tibi jam cupis maritam,
Cui nomen MARIÆ est (MARIAM Ebraos
Amarum mare nuncupare nosti)
Vt nullo monitore amaritudo
Quid prosit videas novis maritis,
Et quantis tibi salsilago grumis
Sape in conjugio sit exedenda.

Spem quare abjicias caveto. amica hæc
Docta est continuo malo mederi
Omni, & pharman hercle temperare,
Non quale invalidis & imbecillis
Vnguentaria miscet officina
Ingratum, insipidum, insuave, amarum,
Quod differt magis & magis dolores;
Sed gratum, sapidum, suave, dulce,
Quod mellis superat suavitatem
Immò Saccharis; immò quicquid usquam est
Melle & sacchare dulcius sub orbe,
Quo funestus amator eliquetur.

Macte ergo quod inire maluisti
VVERNBERGI licitum tori jugalis
Fœdus cum MARIA modò haut amara
Sed dulci satis & satis suavi.

Sit felix thalamus, pius, pudicus,
Adsint blandidici joci, salesq;
Adsint oscula, tactiunculaq;
Adsint suavia, pressiunculaq;
Vt, quando reditum parat dies hæc,
Parvus pusio ludat ante patrem

Et

Et virguncula parvula antè matrem,
Nec ludant modò, sed valentiores
Cum posthac subitis erunt in annis,
Succedat juvenis patris labori
Matris sollicitudini puella.
Hoc meis rudibus precor Pha'eucis.

αὐτοῦ ἑδίασι F.

Henricus von Winsen Hamburg.

Siccine Conjugium, quod contrahis auspice Christo,
VVERNBERGI, foelix sat fore, SPONSE, rear?
Sic reor: haud equidem sine mente. est namq; beatum
Omne quod auspicijs fit, bone Christe, tuis.
Siqu; hoc est verum, vulgò quod pendet ab ore:
Dimidium facti, qui benè cœpit, habet.
Verius illud erit, si dixeris: Auspice Christo
Conjugium foelix, qui benè cœpit, habet.
Absens, SPONSE, Tibi hoc grator meritoq; lubensq;
Auspicium, foelix conjugiumq; precor.
Illius ut videas gratissima pignora quondam,
Pignora grata solo pignora grata polo.
SPONSE senis superes longœvi Nestoris annos,
Tuq; Sibyllinos vivito, SPONSA, dies.
Sic vestro exemplo discat confidere Christo,
Conjugium foelix quisquis habere cupit.

Distichon

*Continens Annum, Mensē & Diem celebratarum nuptiarum,
cum nomine utriusq; celebrantium.*

Dena Vbl SepteMbrls LVX præsens seXtaqVe: Sponsl
VVernbergI cXoptat Gesnerlana toros.

Godefridus Helyvigius Bol. Sil.

ALIUD.

A L I V D.

P Hæbe quid hoc? olim te decernente brabeuta
Qui tulit Aonia premia militia:
Huic Venus undantes effundit rore corollas,
Hunc auctoratum sub sua signa vocat.
Anceps stat dubio res talo. forte rapinam
His animum vestro rettulit illa viro:
Rettulit. an fugitivus erat? verum ipsa retenta
Attendens Cypris, labra tenentis amat,
Quisq; ait, his labris componens basia, vitam
Non ponet, tali ut spiret in ore Dea.

honoris, amoris ergo

Jacob. Albinus. Hamb. f.

F I N I S.



*Id 4212.
8.*


ULB Halle 3
002 391 589




So

Me
1017







NE SIT
 Candidatis
Clarissimo
 VVEREN-
 Hamburgensi
& Venere elegan-
 SNERIÆ,
 IRI
erane quondam
 IS
 GESNERI, &c.
Academici, quia
nt, appre-
 ERGÆ,
 INI HENCKELII,
 DC. X.

